Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sammelhandschrift - Cod. Lichtenthal 7

Langton, Stephen

Frankreich (?), [13. Jh.]

Jakobusbrief

urn:nbn:de:bsz:31-35356

Visual Library

+ diuitib9 X° ecle p9 pastel

Incipit prologus in epistolas canonicas.

Non ita est ordo apud grecos qui integre sapiunt et fidem rectam sectantur epistolarum vii. que canonice nuncupantur. sicut in latinis codicibus invenitur. ut quia petrus primus est in numero apostolorum. prime sint etiam in ordine eius epistole ceterarum. Sed sicut evangelistas dudum ad veritatis lineam correximus. ita has proprio ordini deo nos iuvante reddidimus. Est enim prima earum iacobi. petri due. iohannis tres. et iude una. Que si ut ab eis digeste sunt. ita quoque ab interpretibus fideliter in latinum eloquium verterentur. nec ambiguitatem legentibus facerent. nec sermonum sese varietas impugnaret. illo precipue loco ubi de unitate trinitatis in prima iohannis epistola legimus positum. in qua epistola etiam ab infidelibus translatoribus multum erratum esse a fidei veritate comperimus. trium tantummodo vocabula. hoc est aque. sanguinis. et spiritus in ipsa editione ponentes. et patris verbique ac spiritus testimonium omittentes. in quo maxime et fides catholica roboratur. et patris. et filii. et spiritus sancti una divinitas. et substantia comprobatur. Sed tu virgo christi eustochium dum a me impensius veritatem inquiris. meam quodammodo senectutem invidorum dentibus corrodendam exponis. qui me falsarium corruptoremque scripturarum pronunciant. Sed ego in tali opere non emulorum meorum invidiam pertimesco. nec sancte scripture veritatem poscentibus denegabo.

Invidia

Incipit epistola iacobi.

Iacobus dei et domini nostri ihesu christi servus. duodecim tribubus que sunt in dispersione salutem. Omne gaudium existimate fratres mei cum in temptationibus variis incideritis. scientes quod probatio fidei vestre patientiam operatur. patientia autem opus perfectum habeat. ut sitis perfecti et integri in nullo deficientes. Si quis autem vestrum indiget sapientia. postulet a deo qui dat omnibus affluenter et non inproperat. et dabitur ei. Postulet autem in fide nichil hesitans. Qui enim hesitat similis est fluctui maris qui a vento movetur et circumfertur. Non ergo existimet homo ille quod accipiat aliquid a deo. Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis. Glorietur autem frater humilis in exaltatione sua. dives autem in humilitate sua. quoniam sicut flos feni transibit. Exortus est enim sol cum ardore et arefecit fenum. et flos eius decidit. et decor vultus eius deperiit. Ita et dives in itineribus suis marcescet. Beatus vir qui suffert temptationem. quoniam cum probatus fuerit accipiet coronam vite quam repromisit deus diligentibus se. Nemo cum temptatur dicat quoniam a deo temptetur. Deus enim intemptator malorum est. Ipse enim neminem temptat. Unusquisque vero temptatur a concupiscentia sua abstractus et illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit parit peccatum. peccatum vero cum consummatum fuerit generat mortem. Nolite itaque errare fratres mei dilectissimi. Omne datum optimum. et omne donum perfectum desursum est. descendens a patre luminum. apud quem non est transmutatio. nec vicissitudinis obumbratio. Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis. ut simus initium aliquod creature eius. Scitis fratres mei dilectissimi. Sit autem omnis homo velox ad audiendum. tardus autem ad loquendum. et tardus ad iram. Ira enim viri iustitiam dei non operatur. Propter quod abicientes omnem immunditiam. et habundantiam malicie. in mansuetudine suscipite insitum verbum quod potest salvare animas vestras. Estote autem factores verbi et non auditores tantum fallentes vos metipsos. Quia si quis auditor est verbi et non factor. hic comparabitur viro consideranti vultum nativitatis sue in speculo. Consideravit enim se et abiit. et statim oblitus est qualis fuerit. Qui autem perspexerit in lege perfecte libertatis et permanserit. non auditor obliviosus factus. sed factor operis. hic beatus in facto suo erit. Si quis autem putat se religiosum esse non refrenans linguam suam. sed seducens cor suum. huius vana est religio. Religio munda et inmaculata apud deum et patrem hec est. visitare pupillos. et viduas. in tribulatione eorum. et inmaculatum custodire se ab hoc seculo.

II

Fratres. nolite in personarum acceptione fidem habere domini nostri ihesu christi glorie. Etenim si introierit in conventum vestrum vir aureum anulum habens in veste candida. introierit autem et pauper in sordido habitu. et intendatis in eum qui indutus est veste preclara. et dixeritis ei tu sede hic bene. pauperi autem dicatis. tu sta illic. aut sede sub scabello pedum meorum. Nonne iudicatis apud vos metipsos. et facti estis iudices cogitationum iniquarum. Audite fratres mei dilectissimi. Nonne deus elegit pauperes in hoc mundo. divites autem in fide. et heredes regni quod repromisit diligentibus se. Vos autem exhonorastis pauperem. Nonne divites per potentiam opprimunt vos. et ipsi trahunt vos ad iudicia. Nonne

d' psp̄tōe

+ quo papi h' ydepnat z diu exaltat

ipsi blasphemant bonum nomen quod invocatum est super vos? Si tamen legem perficitis regalem secundum scripturas: Diliges proximum tuum sicut teipsum, bene facitis. Si autem personas accipitis, peccatum operamini, redarguti a lege quasi transgressores. Quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. Qui enim dixit non mechaberis, dixit et non occides. Quod si non mechaberis, occides autem, factus es transgressor legis. Sic loquimini et sic facite sicut per legem libertatis incipientes iudicari. Iudicium enim sine misericordia erit illi qui non fecit misericordiam. Superexaltat autem misericordia iudicio. Quid proderit fratres mei si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid fides poterit salvare eum? Si autem frater aut soror nudi sint et indigeant victu cottidiano, dicat autem de vobis aliquis illis: ite in pace, calefacimini et saturamini, non dederitis autem eis que corpori necessaria sunt, quid proderit? Sic et fides si non habeat opera mortua est in semetipsa. Sed dicet aliquis: Tu fidem habes, et ego opera. Ostende michi fidem sine operibus, et ego ostendam ex operibus fidem meam. Tu credis quoniam unus est deus, bene facis. Et demones credunt et contremiscunt. Vis autem scire o homo inanis quoniam fides sine operibus mortua est? Abraham pater noster nonne ex operibus iustificatus est offerens filium suum ysaac super altare? Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, et ex operibus fides consummata est, et impleta est scriptura dicens: Credidit abraham deo et reputatum est illi ad iustitiam, et amicus dei appellatus est. Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo et non ex fide tantum. Similiter autem et raab meretrix nonne ex operibus iustificata est suscipiens nuntios et alia via eiciens? Sicut enim corpus sine spiritu emortuum est, sic et fides sine operibus mortua est.

III

Nolite plures magistri fieri fratres mei, scientes quoniam maius iudicium sumitis. In multis enim offendimus omnes. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Potest etiam freno circumducere totum corpus. Si quis autem equis frenos in ora mittimus ad consentiendum nobis, et omne corpus eorum circumferimus. Ecce et naves cum magne sint et a ventis validis minentur, circumferuntur autem a modico gubernaculo ubi impetus dirigentis voluerit. Ita et lingua modicum quidem membrum est et magna exaltat. Ecce quantus ignis quam magnam silvam incendit. Et lingua ignis est, universitas iniquitatis. Lingua constituitur in membris nostris, que maculat totum corpus et inflammat rotam nativitatis nostre inflammata a gehenna. Omnis enim natura bestiarum et volucrum et serpentium et ceterorum domantur et domita sunt a natura humana. Linguam autem nullus hominum domare potest. Inquietum malum, plena veneno mortifero. In ipsa benedicimus deum et patrem, et in ipsa maledicimus homines qui ad ymaginem et similitudinem dei facti sunt. Ex ipso ore procedit maledictio et benedictio. Non oportet fratres mei hec ita fieri. Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem et amaram aquam? Numquid fratres mei potest ficus facere uvas aut vitis ficus? Sic neque salsa dulcem potest facere aquam. Quis sapiens et disciplinatus inter vos? Ostendat bonam conversationem suam in mansuetudine sapientie. Quod si zelum amarum habetis et contentiones sint in cordibus vestris, nolite gloriari et mendaces esse adversus veritatem. Non est enim ista sapientia desursum descendens sed terrena, animalis, diabolica. Ubi enim zelus et contentio, ibi inconstantia et omne opus pravum. Que autem desursum est sapientia primum quidem pudica est, deinde autem pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia et fructibus bonis, iudicans sine simulatione. Fructus autem iustitie in pace seminatur facientibus pacem.

IIII

Unde bella et lites in vobis? Nonne ex concupiscentiis que militant in membris vestris? Concupiscitis et non habetis; occiditis et zelatis et non potestis adipisci; litigatis et belligeratis et non habetis propter quod non postulatis. Petitis et non accipietis eo quod male petatis, ut in concupiscentiis vestris insumatis. Adulteri nescitis quia amicitia huius mundi inimica est dei? Quicumque ergo voluerit amicus esse seculi huius, inimicus dei constituitur. Aut putatis quia inaniter scriptura dicat: ad invidiam concupiscit spiritus qui habitat in vobis? Maiorem autem dat gratiam, propter quod dicit: deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Resistite autem diabolo et fugiet a vobis. Appropinquate deo et appropinquabit vobis. Emundate manus peccatores et purificate corda vestra duplices animo. Miseri estote et lugete. Risus vester in luctum convertatur et gaudium in merorem. Humiliamini in conspectu domini et exaltabit vos. Nolite detrahere alterutrum fratres. Qui detrahit fratri aut qui iudicat fratrem suum, detrahit legi et iudicat legem. Si autem iudicas legem, non es factor legis sed iudex. Unus est enim legislator et iudex qui potest perdere et liberare. Tu autem quis es qui iudicas proximum tuum? Ecce nunc qui dicitis: hodie aut crastino ibimus in civitatem illam et faciemus ibi quidem annum et mercabimur et lucrum faciemus.

+ vii columpne domus sapientie [illegible]

+ Avaricia [illegible]

Subditi ergo estote deo

+ ibi dicitur de refrenatione lingue tue

qui ignoratis quid sit in crastinum. Que est
enim uita uestra? uapor est ad modicum parens. et de
inceps exterminabitur. Pro eo ut dicatis. si dominus uolu
erit. et si uixerimus faciemus hoc aut illud. Nunc autem
exultatis in superbiis uestris. Omnis exultatio talis
maligna est. Scienti igitur bonum facere et non facienti
peccatum est illi.

V

Agite nunc diuites. plorate ululantes in miseri
is uestris que aduenient uobis. Diuicie uestre
putrefacte sunt. et uestimenta uestra a tineis comesta
sunt. Aurum et argentum uestrum eruginauit et
erugo eorum in testimonium erit uobis. et mandu
cabit carnes uestras sicut ignis. Thesaurizatis uobis
iram in nouissimis diebus. Ecce merces operariorum
qui messuerunt regiones uestras que fraudata est a uo
bis clamat. et clamor eorum in aures domini saba
oth introiuit. Epulati estis super terram. et in luxuri
is enutristis corda uestra in die occisionis. Addux
istis. et occidistis iustum. et non restitit uobis. Paci
entes igitur estote fratres. usque ad aduentum domini. Ecce
agricola expectat preciosum fructum terre. pacien
ter ferens. donec accipiat temporaneum. et seroti
num. Patientes estote et uos. et confirmate cor
da uestra quoniam aduentus domini appropinquabit.
Nolite ingemiscere fratres in alterutrum ut non iudice
mini. Ecce iudex ante ianuam assistit. Exem
plum accipite fratres exitus mali. longanimita
tis. laboris. et paciencie. prophetas. qui locuti sunt
in nomine domini. Ecce beatificamus qui sustinuerunt.
Sufferentiam iob audistis. et finem domini uidistis. quoniam
misericors est dominus et miserator. Ante omnia
fratres mei nolite iurare neque per celum. neque per ter
ram. neque aliud quodcumque iuramentum. Sit autem sermo
uester est est. non non. ut non sub iudicio decidatis. Tris
tatur aliquis uestrum. oret equo animo. et psallat.
Infirmatur aliquis ex uobis. inducat presbiteros ec
clesie. et orent super eum ungentes eum oleo in nomine domini.
et oratio fidei saluabit infirmum. et alleuiabit eum
dominus. et si in peccatis sit remittentur ei. Confitemi
ni alterutrum peccata uestra. et orate pro inuicem ut
saluemini. Multum enim ualet deprecatio iusti
assidua. Helyas erat homo similis nobis pas
sibilis. et oratione orauit ut non plueret super terram.
et non pluit annos tres. et menses sex. Et rursum
orauit. et celum dedit pluuiam. et terra dedit
fructum suum. Siquis autem ex uobis errauerit
a ueritate. et conuerterit quis eum. scire debet.
quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore uie
sue. saluabit animam eius a morte. et operit
multitudinem peccatorum.

Incipit epistola petri prima

PETRUS apostolus
ihesu christi. electis aduenis
dispersionis. ponti galacie.
asye et bythinie capadocye.
secundum prescientiam dei patris. in sancti
ficatione spiritus. in obedientiam
et aspersionem sanguinis ihesu christi. Gratia uobis et
pax multiplicetur. Benedictus deus et pater
domini nostri ihesu christi. qui secundum misericordiam suam
magnam regenerauit nos in spem uiuam
per resurrectionem ihesu christi. ex mortuis in heredi
tatem incorruptibilem. et incontaminatam.
et inmarcescibilem conseruatam in celis in uobis
qui in uirtute dei custodimini per fidem in salu
tem paratam reuelari in tempore nouissimo in
quo exultabitis. Modicum nunc si oportet contristari
in uariis temptationibus ut probatio uestre
fidei multo preciosior sit auro quod per ignem probatur.
inueniatur in laudem. et gloriam. et honorem
in reuelatione ihesu christi. quem cum non uideritis di
ligitis. in quem nunc quoque non uidentes creditis.
credentes autem exultabitis leticia inenarrabi
li et glorificata. reportantes finem fidei uestre
salutem animarum uestrarum. De qua salute exqui
sierunt atque scrutati sunt prophete. qui de futura
in uobis gratia prophetauerunt. scrutantes in quod uel qua
le tempus significaret in eis spiritus christi prenuncians eas que
in christo sunt passiones et posteriores glorias. Quibus
reuelatum est quoniam non sibi ipsis uobis autem ministra
bant ea que nunc nunciata sunt uobis per eos qui
euangelizauerunt uobis spiritu sancto misso de celo in
quem desiderant angeli prospicere. Propter quod succincti lum
bos mentis uestre. sobrii perfecti. sperate in eam que
offertur uobis gratiam. in reuelatione ihesu christi. qua
si filii obedientie non configurati prioribus ignoran
tie uestre desideriis. sed secundum eum qui uocauit uos sanctum.
et ipsi in omni conuersatione sancti sitis. quoniam scriptum est. Sancti eritis
quoniam ego sanctus sum. Et si patrem inuocatis eum qui sine
acceptione personarum iudicat secundum uniuscuiusque opus in
timore. incolatus uestri tempore conuersamini. scien
tes quod non corruptibilibus auro uel argento redempti
estis. de uana uestra conuersatione paterne traditionis.
sed precioso sanguine. quasi agni incontaminati
et inmaculati christi. precogniti quidem ante constitutio
nem mundi. Manifestati autem nouissimis temporibus
propter uos qui per ipsum fideles estis in deo. qui sus
citauit eum a mortuis et dedit ei gloriam. ut fi
des uestra et spes esset in deo. Animas uestras casti
ficantes in obedientia caritatis. in fraternita
tis amore. simplices ex corde. inuicem diligite